

Matthias Stein

**Exeqvarum, Viro ... Domino, Dn. Johanni VerMehren, Sereniss: Ducis  
Mecklenburgensis Consiliario Intimo Fulgidissimo Pariter ... Abs Prænobilissima  
Maximoqve in Luctu Versante Vidua Ritu Christianos Decente ... Paratarum : [P.  
P. Sub Sigillo Rectoratus D. 21. Novembr. Ao. MDCCX.]**

Rostochi[i]: Wepplingius, [1710]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774702710>

Druck    Freier  Zugang



**Stein, M.,**

in J. Vermehren

Rost. 1710.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn774702710/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774702710/phys_0002)





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn774702710/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774702710/phys_0004)

2

# EXEQVIARUM, VIRO

PER ILLUSTRI ATQUE LONGE  
EXCELENTISSIMO,

DOMINO,

# DN. JOHANNI

Ber Hebrewen /

SERENISS: DUCIS MECKLENBURGENSIS  
CONSILIARIO INTIMO  
PULGIDISSIMO PARITER AC FIDELISSIMO GRAVISSIMOQUE,

ABS

PRAE NOBILISSIMA MAXIMOQUE IN  
LUCTU VERSANTE

# VIDUA

RITU CHRISTIANOS DECENTE AC PER-  
HONORIFICO PARATARUM,

Solennis Indictio

AB

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS RECTORE

# MATTHIA Stein/

J. U. D. & Cod. Prof. Publ. Ord.  
P. P.

Rostochi, Typis JOHANN WEPPLINGI, SERENISS. PRINC. & ACAD. TYPogr.

11



Mplo hodiè funere effe-  
remus, CIVES ACADEMICI  
O. O. HONORATISSIMI! suo-  
que mandabimus dormitorio ex-  
anime corpus Viri in eminentiâ  
constituti, qvem nascendi condi-  
tio vitæqve peractæ laudes, quem  
muneris pariter sublimitas ac am-  
plitudo meritorum, qvem ipsa senectutis gravitas &  
conspicuum apud nos & venerabilem reddiderunt,  
qvemque rariora nostri ævi decora inter olim nume-  
rabit, si quæ futura est, grata posteritas. Intelligi-  
tis facile, credo, indigitare me, quem non multos ante  
dies mortalitati erectum accepistis, Virum à fide  
in Principem ac Dominum suum summâ, meritis in  
Terras Mecklenburgicas maximis, eruditione pro-  
fundâ, prudentiâ in consulendo singulari, dexteritate  
in expediendis negotiis admirandâ, candidâ in civi-  
li conversatione integritate, &, cui omnia cedunt,  
pietate in DEum sincera, ceterisque, quotquot Chri-  
stianum hominem ornant, virtutibus omnibus com-  
men-

mendatissimum nostrâque commendatione multum.  
superiorem , Per-Jllustrem nuper atque longè Excel-  
lentissimum, nunc & in DEO Beatissimum, Domi-  
num, DN. JOANNEM VerDehren / Sereniss;  
Principis ac Domini , DN. FRIDERICI WIL-  
HELMI , Duciis Mecklenburgici Regnantis &c. &c.  
Domini nostri longè Clementissimi , Consiliarium In-  
tinum Fulgidissimum Gravissimumque. Vel solum,  
quod vivens geffit , munus plus satis indicat, qvid huic  
Viro universa debeat Patria nostra , quid debeant infi-  
mi , quid Summi. Etenim , quæ sit Consiliariorum  
in Republicâ necessitas , quantumque ab iis in eam  
proficiisci utilitatis queat , adeò ignotum hemini esse  
potest , ut quotidiana id experientia testetur , præter-  
qvam quod Politicæ Doctores unanimi consensu pari-  
ter atque magno argumentorum pondere ipsum doce-  
re solent . Respublica corpus est , non naturale qui-  
dem , sed politicum naturali analogum , cujus cum  
corpo humano comparationem qui instituunt , pro  
capite Principem meritò habent , Consiliariis verò ocul-  
lorum deferunt auriumq; partes. Hæc scilicet or-  
gana sunt , per quæ visus atque auditus sese exserunt ,  
sensus illi , à quibus potissimum rerum extra nos posi-  
tarum pendet cognitio. Quandoquidem igitur , ut  
ipse Princeps omnibus singulisque intersit civitatis ne-  
gotiis , fieri non potest ; Consiliariis velut oculis uti-  
tur atque auribus , instrumentis illis , per quæ & è lon-  
ginqvo audiat videatve. Unde non minus ac sen-  
soria illa organa , ne in rerum perceptione sensus deci-  
piantur , rite constituta & affecta esse debent , Consi-  
liarios sufficientibus præditos dotibus ac virtutibus esse

oportet. Enim verò, non paucæ sunt nec leves, quæ  
in bono Consiliario abs Politicis reqviri solent, virtu-  
tes, quarum contexere catalogum hodiè si meditarer,  
næ, supervacaneum memet in me fuscipere laborem,  
omnes mihi essent acclamatūri. Verbis enim quid  
opus est, ubi rerum testimonia adsunt vivaque exem-  
pla? Sufficere hac vice potest, ad imaginem beatè  
Defuncti Nostri intuendam hasce lecturos ablegari. Is  
enim, quamdiu vitæ usura, ex voluntate DEI, ipsi  
contigit, totus in eo totusque fuit, qvi gravissimi mu-  
neris sui omnes exactè partes impleret, ut, quod pro-  
meritus dudum erat, egregii Consiliarii nomen tuere-  
tur laudesque etiam post faça reportaret. Et certè,  
si vel ipsa, alioquin omnia taxans, invidia in testimo-  
nium vocaretur, & ipsam illam confiteri oporteret,  
adeò nullam tantum, cui rerum summam creditit Prin-  
cipis aula, Virum decentem virtutem in eo desiderari  
potuisse, ut contrà omnes in ipso accumulatissimè fue-  
rint congregatae. Videbimus ipsum ac agnoscemus  
luculentissimè, sicubi ejus contemplati imaginem fue-  
rimus, cui quidem, ceu conveniebat, depingendæ non  
sum; ut tamen tam Illustris Familiæ desiderio grati-  
ficer, qvam, quod meum postulat officium, efficiam, rudi  
qvamvis penicillo eandem delineare conabor, pictores  
haud infreuerter imitaturus, velo obducentes, qvod  
eleganter satis exprimere se posse desperant.

Non equidem ignoro, perparum nostris accrescere lau-  
dibus posse ex iis, qvæ fortunæ adscribenda magis sunt,  
qvam à nobis dependent, quorum etiam in censum veni-  
unt ædes natales atq; Parentes; attamen fieri nonnunquā  
falet ut civis patriæ patriaque civi non sit nulli decori,

ac

ac Genitorum virtutes in natos redundant, horumq; me-  
rita majorem illis concilient splendorem. Quod utrumq;  
cum cerriere heic detur , non penitus ea prætermitti  
debere ratus sum\_. Ad patriam igitur B.DN. Consi-  
liarii nostri quod attinet , fuit ea celebratissima undi-  
queque Libera Imperialis Civitas LUBECA, urbs Saxo-  
niae amplissima\_. Wagriae caput: situ & mœnibus  
portuque ornatissima : mercaturis præterea & mer-  
cibus omnibusq; rebus necessariis instructissima : ma-  
xime verò bonis legibus ac moribus clarissima , & tam  
publicis , quam privatis ædificiis splendidissima : ut  
verè sit, qvod dicitur, *laudis angulus* : decus & coro-  
na urbium\_ : quali honorifico encomio eandem olim  
mactavit vario doctrinarum genere inclytus JCtus Ni-  
colaus ille Reusnerus. Quam verò illustris fit natalis  
Viri Beati locus , Ipse sane omnem ejus superavit splen-  
dorem vitâ , quam in eo acceperat Anno R. S.  
MDCXXXIV. Mensis Novembris die vicesimo primo.  
Parentes ei contigerunt famæ varias per virtutes partæ  
longè honestissimæ posterorumq; memoriâ dignissimi.  
*Genitorem* qvippe veneratus est Virum Nobilissimum  
Spectatissimumque , DN. PAULUM *Ber Mehren*/  
Cicem Lubecensem Primarium ac Mercatorem Præ-  
stantissimum. Satus iste erat abs Viro Nobilissimo ac  
Integerrimo , nostræq; soli veræ Religioni quam tena-  
cissimè addicto , DN. PAULO *Ber Mehren* / qui ex  
Bataviâ oriundus inter Antwerpienses eminuerat  
olim\_. Sed , quæ Protestantibus infensissima erat  
famosissimi illius Ducis Albani crudelitas , cum  
aliis & hunc Optimum Virum , relictis patriis laribus,  
migrare cögebât\_. Stada autem erat , non ignobilis

in Ducatu Bremensi civitas, quæ exulem hunc ob Christi nomen prompta excipiebat ac hospitium præbebat liberalissimum. Ubi & dictus antea Filius, PAULUS, Anno Seculi XVII. ultimo seu 1600, primo Augusti die eidem natus fuit. *Genitricem osculatus* Noſter est fœminam omnibus, quæ muliebrem ornant sexum, virtutibus condecoratissimam, ELISABETHAM von Münsters / Filiam integerrimi optimæque fidei Viri DN. HERMANNI von Münsters / itidem Primarii Lubecæ Civis ac Mercatoris, ejusq; Conjugis, fœminæ suis encomiis nitidissimæ, SUSANNAE von Cöln/ quam & ipsam hanc Parentes, Nobilissimum Virum, DN. JOHANNEM von Cöln/ Patrem, & Matrem Virtuosissimam Piissimamq; Becke Horsten / ob Religionis veritatem, cui constanter adhaerebant, Aquisgrano pulsos Lubecam in tenerâ adhuc ætate seqvi oportuit.

Ad plures qvidem ascendere possemus longâ numerandos serie Abavos Atavosq; utriusq; lineæ, in Bataviâ quondam ac Julianensi Ducatu per celebres, si id agendum nobis esset, ut peregrinis coloribus Viri innumeris propriis meritis coruscî faciem pingemus. Ast opus pigmentis non est, ubi res nuda talem se repræsentat, quæ omnium in se convertat oculos, animos rapiat in admirationem. Et B. Noſter DN. BerMehren / solis superbire Majorum laudibus, infra veræ nobilitatis gloriam ipsem duxit, haud ignarus, quæ hominem nobilitat, solam esse & illibatam virtutem. Quo animo dum semper fuit, factum est, ut quam è stemmate contraxerat, gloriam, improbo partâ labore virtute propriâ, multum reddiderit illustriorem. Quam ad

ad felicitatem ut aliquando pertingeret, Optimorum Parentum unica cura , unicum fuerat votum. Idcirco quem à se non sine hæreditario malo prognatum noverant, salutifero Ecclesiæ fonte regenitum Christoq; oblatum cupiebant, sine quo eundem DEO place-re non posse plus satis erant edocti. Fari cum paulatim addisceret , DEI Summi agnitionem atq; reverentiam tenero instillari animo curarunt, ac , excitatis subinde, quæ cum sanguine unâ in ipsum transplantaverant, seminibus , ad honestatis & virtutis omnis amo-rem adsuefecerunt, optimè judicantes, non melius mé-reri de bono publico Parentes posse , qvam si natos à teneris unguiculis ita ducant flectantque, qui , igno-ratis vitiis , virtute nihil melius æstiment , nihil habeant carius. Cumque, præter salutarem de DEO do-trinam, bonarum literarum Studiis nullum majus isti-us scopi obtinendi adminiculum sit , providus Beati Genitor, ut ad illa filiolus duceretur , mature curare voluit. Traditus hinc est Præceptorum tum priva-torum , tum publicorum in Scholâ docentium institu-tioni. Ubi citò eluxit, qvæ à divinâ benignitate con-cessa ipsi fuerat , singularis ad qvævis apprehendenda, quanta in eâ ætatis teneritudine requiri & optari po-test, ingenii capacitas ac promptitudo. Gratulati sibi de tam eximiæ indolis Discipulo sunt Præceptores , & quantum inde conceperint gaudii Parentes , filium huncce suum oculishabentes chariorem , qui capere se negat, qui sit paternus erga liberos affectus, ignoret, oportet , ne dicam , omni destitutus sit humano sensu. Decimum ita , maximâ sub omnium de eo conceptâ spe, ætatis attigerat annum, quando studiis ipsius me-lius

lius consultum velle uterq; Pārens. Amant Musæ  
secessus à strepitu turbâq; remotos, quæ magno illis esse  
impedimento possunt. Qvamobrem Genitor Beati  
Nostri DN. Consiliarii Intimi etiam in hoc, qvin iis-  
dem consuleret, non intermisit. Abductum igitur  
~~ex~~ clamorâ hominum multitudine Ratzeburgum, di-  
stans Lubecâ duo milliaria, ablegavit, locum non, ter-  
minos si spectes, magis exiguum, quam pulchrum  
suâque situs amoenitate sensibilem peregrinis pariter  
atque incolis delectationem afferentem, nec minus ce-  
lebreum ex Episcopatu, qui ibidem floruit, abs Hen-  
rico Leone, illo Gentium Slavonicarum, avitæ tum ad-  
huc superstitioni in Gentilismo firmiter adhaerentium,  
perfrenuo domitore, instaurato, hodiè, vi pacificationis  
Osnabrugensis, sub Principatus Titulo, Sereniss: Du-  
cibus Mecklenburgensibus parente. Hujus tum  
temporis nobile membrum ( Canonicum dicere sole-  
mus ) erat Vir Reverendâ Dignitate ac omnigenæ eru-  
ditionis laude conspicuus, DN HENRICUS HOINCK-  
HUSEN, Avunculus Beati Nostri DN. Consiliarii  
Intimi, qui eundem Anno M DCXLIV. ex Parentum  
voto non lubentissimè solum in domum suam recepit,  
sed laudatissimâ quoque, quâ major ne quidem ab i-  
psis Parentibus desiderari poterat, solicitudine rece-  
ptum educavit. Nec tamen sola hujus Viri pro ejus-  
dem educatione cura vigilavit, qvin & Præceptoribus  
cathedralem ejus loci eamque tum Episcopalem Scho-  
lam laboribus suis ac laudatissimâ in informandâ juven-  
tute dexteritate celebrem redditibus commissus fuerit,  
Rectori quidem HENRICO SARTORIO, & Canto-  
ri Gottlieb NIGRINO, cuius præcipue fidelita-  
tem

tem suis semper deprædicavit Noster. Currentem  
calcaribus concitari licet opus non sit; nullum tamen  
mihi dubium est, quin honesta æmulatio animis, præ-  
fertim juvenilibus, stimulos semper addat, quò vires  
intendant omnes, nè ab aliis in iis, quæ gloriam pa-  
rare possint, superentur. Ita & BEATUS Noster.  
Quantumvis enim incredibili jam arderet sciendi cu-  
piditate, nec ullam sibi horam à studiis vacuam abire  
pateretur; eò tamen magis latentes in illo ignieuli ex-  
suscitabantur, quò magis sibi honorificum ducebatur,  
suorum, qvos naëtus erat, generosi præstantissimiq;  
pectoris condiscipulorum exemplum non tam seqvi,  
qvam antevertere. Fuerunt illi, summa deinceps  
temporis in hoc Ducatu munia & dignitatem unà cum  
illis maximam consecuti, ex pervetustâ profapiâ ori-  
undi Fratres de PLUSKOWEN, ambo Consiliarii  
Provinciales; NICOL. HENR. BUNSOVIUS, qui  
ut Sereniss. Duci ac Domini, DN. CHRISTIANI  
LUDOVICI, gl. m. Consiliarius Intimus ac Racebur-  
gensis Principatus Director supremum sùm diem obiit;  
BERNH. JOACH. à BULOW, Hæredit, DN. in Cañin:  
qibus cum contracta in primâ Juventute amicitia Beato  
DN. Bei Mehren per omnem vitam firmiter constans  
permansit. Cum his Commilitonibus suis, memorato-  
rum antè Præceptorum ex doctrinâ, sub inspectione lau-  
dati etiam Avunculi sui, per integrum fermè qvinquen-  
nium, non contemnenda jecerat in Lingvâ Latinâ a-  
liisque humaniorum nobis nomine venientibus Studiis fundamenta. Qibus ut alia etiam superftruer-  
rentur, cum primis qvæ Politicum five faciunt five or-  
nant, consultum visum fuit, eundem domum retrah-

B

ctum

Etum commendare institutioni Viri ad informandum  
juventutem nati factique, vel ex solis, qvas Helmoldi-  
ano Chronico Slavorum ejusdemque Continuatori  
Arnoldo, adjecit, eruditissimi Notis sat celebre no-  
men adepti, HENRICI inquam BANGERTI, incluti,  
qvod Lubecæ floret, Gymnasii eâ tempestate Rectoris.  
Factum id est Anno MDCXLIX. & eo qvidem pacto,  
ut ab aliis negotiis, ne impedimento forte ipsi forent,  
remotus in Bangertianam domum recipereatur, qvō  
ad manus qvoqve semper esset ei, cui ipsius erat in-  
formatio demandata. Neqve successu sperato hoc in-  
stituti caruit, qvin fructum ejus brevi viderint Paren-  
tes, ut impensos frustra perditosve sumtus deploran-  
di causæ habuerint nihil. Ex adverso potius majo-  
rem indies gaudendi ansam ex ejus profectibus capi-  
ebant. Qvæcunque enim in Chronologicis, Geogra-  
phicis, Historicis aliisve Philosophiaæ partibus propo-  
nebantur abs Præceptore, ab Auditore hoc, ut mirâ cum  
promptitudine recipiebantur, ita non minori cum te-  
nacitate ( excellenti enim tum utebatur memoriâ ) re-  
tinebantur. Neq; tamen in his occupatum Lingua-  
rum, Græcæ præsertim ac Latinae, tenebat fastidium,  
qvin earum summam agnoscens necessitatem, in iis-  
dem excolendis indefessus desudaverit, adeo ut omnis  
ei voluptas, omnis cura, omne otium ac negotium  
fuerit in literis. Ita excultus hactenus erat adq; majora  
præparatus Præceptorum fidissimorum operâ, ut non  
à BANGERTE solùm, cui præ ceteris noti ejus pro-  
fectus erant; sed & B. D. MENNONE HANNEKE-  
NIO, Maximè Rev. tunctemporis Rev. Ministerii Lu-  
becens. Superintendente, æternæ memorie Viro, ac  
B. D.

B D. DAVIDE GLOXINIO; optimè promerito  
Lubecensium Syndico, justissimis ingeniorum cen-  
soribus, dignus omnino judicatus fuerit aptus-  
que, qvī altiora jam nunc adoriretur, ad principes,  
qvas Academias vocamus, Scholas dimittendus. An-  
nus tunc agebatur MDCLIII. qvi Beati Viri ætatis no-  
nus supra decimum erat, qvando, ineunte Vere, ad  
Gieffensem Celeberrimam Hassorum Academiam Pa-  
rentes laudatissimum hunc suum Filium amandabant,  
Ibi sedulum se præbebat Auditorem acutissimo Philo-  
pho EIBELIO, non nescius, qvod Philosophiæ fine,  
adminiculo nihil solidæ aut profundæ in Superioribus Di-  
sciplinis Scientiæ qvisqvam comparare sibi possit. Nec  
minus in Jurisprudentiæ ac Politicæ studio Excellentes  
sibi eligebat Duces, D. SCHULZIUM, postea Invictissi-  
mi Imperatoris LEOPOLDI ac Imperii Consiliarium  
Aulicum simulqve Cancellarium Lüneburgo-Cellen-  
sem, ut & D. LE BLEUX, cujus sub Præsidio pri-  
mum edidit publicum Academicorum Studiorum speci-  
men, Disputatione de *Jungendâ cum Armis Prudentiâ*, ma-  
sculè defensâ, ita ut omnium promeritus fuerit applau-  
sum.. Transacto eâ in Musarum sede triennio inte-  
gro cum dimidio, qvod superat, alias etiam invisere  
Academias aliosq; auscultare Doctores è re sibi suisq;  
Studiis fore judicans, ad vicinam sese convertit Mar-  
purgensium illustrem Scholam.. Non tamen ultra  
semetris spatium in ea commoratus, impetrato Pa-  
rentum consensu, ut primùm discedebat frigore tor-  
pens hyems, Anno MDCLVII Academiam Julianam, qvam  
Serenissimi Luneburgensium Duces instituerunt ac ho-  
dienum nutriunt, oppidum autem Helmstadium in si-

nu , fôvet adibat, famâ allectus Celebratissimorum meâ tempestate in illa Juris interpretum, D. D. HAHNII, WERNERI, EICHELII, qvorum lateribus adhæsit assiduus, nunqnam ab illis, nisi doctior factus recedens. Sed Præter istos, suis meritis suâq; laude omnino fulgidissimos, Doctores coñemorandum heic qvoq; nobis venit illud eruditionis miraculum ac ornamentum universæ Germaniæ, HERMANNUM puto CONRINGIUM, de qvo qvidqyid dici vel scribi potest, infra Virum est. Cum enim nativo qvasi instinctu ad Historiarum ac Juris Publici Studia , qvæ tantum non sola Politicum efficere valent, sese rapi sentiret Noster Dn. Meßren/ tanto sub Doctore, qvem non in theoriâ substitisse, sed in variis Principum Aulis negotiisve versatum multam sibi experientiam , & experientiâ prudentiam magnam comparasse noverat, eadem sibi familiariora reddere allaborabat. Et in hoc non minius, qvam ceteris, qvæ tractabat, studiorum generibus qvos fecisset profectus vel ipsem qvotidie sentire intra se poterat, qvotiescunq; docile ac ad qvævis capienda aptum ingenium excuteret suum. Ita non fieri non poterat, præsertim qvia cum industria vitæ conjungebat probitatem atq; modestiam singularem, qvin omnium sibi conciliaret amorem, favorem, existimationem. Data qvippe occasione , & qvibus Natura etim exornaverat, dona, & qvos propriâ diligentia sibimet acquisiverat eruditionis profundæ thesauros , sive privatim, sive publicè, nunc opponendo, iterum respondendo, qvæ sunt exercitia Academica, explicare solebat, & ita sanè solebat, ut nunqnam nisi cum admiratione fuerit auditus. Tantis igitur doctrinarum ivitiis repletus tan-

tandem aliquando, vocatus à Parentibus & tota neceſſitudini exspectatus, patriam, à qva per integrum pe-  
nè septennium abfuerat, revisere in animum induxit.  
Helmstadio proinde movit, inclinante ad vesperam.  
Anno MDCLX. in amplexum iturus amantissimorum  
Parentum ceterorumqve consanguineorum ac bene i-  
psi cupientium qvorumvis. Nunc qvomodo exceptus  
à suis fit describam : sed præstat reticere, qvæ affectu,  
non verbis exprimi queunt. Qyis enim gaudia pater-  
na? qvis fluentes, lœtitiae indices, Matriſ lacrymas?  
qvis congratulationes Amicorum numerare heic valet?  
Felices Parentes, iterumqve felices! queis filios suos  
morum elegantia politos, eruditione multa refertos, va-  
riâqve laude conspicuos revertentes excipere contingit.  
Ne tamen putetis velim, eum fuisse horum in filium.  
Parentum affectum, qvi qvorundam est natos stolidè  
penè amantium, qvibus non melius ac in paterna domo  
fore existimant: aut filium nunc ita Parentibus adhæ-  
ſiffe, ut ē gremio Matris non nisi ægre dimitti se pate-  
retur. Profectò, alia longè Parentibus mens, alius fi-  
lio erat animus. Didicerat ille, duo in Viro reqviri, qvi  
veri sustinere Politici nomen propositum sibi habet:  
scientiam videlicet atqve prudentiam, qvarum ista do-  
ctrinâ, hæc experientia comparatur. Ut ifsti igitur,  
qvam in Academiis hactenus accumulate conquisiverat,  
& hanc adjungeret, haud melius id fieri posse apposite  
judicabat, qvam institutis alienas per terras peregrina-  
tionibus. Qvibus fese dare cum sibi proposuisset,  
Parentes adeò non dissuadebant, ut potius illico affurre-  
xerint filii voluntati eumqve tam honesto atqve lauda-  
bili in proposito confirmarint magis. Tempus itaqve

præfiniebatur vernum Anni MDCLXI. itineri ad Batavos primum adornando. Ea singularis hujus Nationis laus est, qvod qvam mercatura universum per orbem sibi comparavit illustrem famam, Literarum Studiis longè reddat illustriorem, ut qvicqvid unqvam est eruditionis humanæ, eā in mundi particula offendit queat, modò, sublatâ prætensa illâ philosophandi libertate, abusus separaretur. Has adire terras cum placebat beatè Defuncto Nostro, vale Parentibus iterum cum Amicis dicto, ita direxit cursum, ut, per *Hamburgum*, *Bremam*, *Emdenam*, *Groningam*, *Læovvardum* eundo, *Amstelodamum* primum inviseret, urbem ut florentissimam, ita celebratissimam, Patruum suum, Dn. NICOLAUM BerMehren / Civem ejus loci inter primos ac mercaturam facientem, aliosque propinquā cum consanguinitate tum affinitate sibi junctos, domum ibi habentes, salutatus, à quibus omnibus gaudio, quam dici potest, majore fuit exceptus. Splendorem hujus loci & quæcunque continet memorabilia contemplatus majori excitabatur desiderio videndi quoque & cetera. Quod si verò eundem, quorsumcunqve iter suum conferebat, comitari vellemus, longè mittenda nostra esset oratio: quare ea duntaxat, quæ præ ceteris eminent, loca, & in quibus quæ five scientiam augere five prudentiam potuerunt, observavit, commemorabimus. Amstelodamo se *Lugdunum* versus commoventi cometem sese adjunxit Patruus ante laudatus, tanto ejus amore captus, ut tam citò ex confortio suo ipsum dimittere nequiverit. Illustrabant tum temporis Academiam dicti loci stupendæ eruditionis nominisque per orbem celebratissimi Viri, cum priinis VOSSIUS, Theologus,

logus, von Thienen/JCtus; SYLVIUS, Medicus; GRO-  
NOVIUS HORNIUSq; Polyhistores; quorum omni-  
um favori, commendatitiis Conringianis stipatus,  
quam facillima sese opera insinuabat, ita ut HORNI-  
US, in benevolentiae ac singularis affectus documentum,  
*Libros à se confectos*, alterum *Orbi Imperantis & Pol-  
tici*, alterum *Historiae Motuum & Mutationum in Britannia*  
Titulum gerentes, ac propria Auctoris manu scriptos,  
antequam publicis darentur typis, describendos ipsi  
communicaret. *Groningae* item cum SCHOOCKIO,  
in Juris Naturae ac Gentium scientia excellente Viro  
colloquia miscuit, eò facilius admissus, quo plus pon-  
deris habebat Conringii commendatio. Nec minori cum  
fructu alia quoque celebria utriusque Belgii loca pera-  
grabat, *Hagam Comitum, Delphos, Roterodamum, Dordra-  
cum, Middelburgum, Bredam, Antwerpam, Mechlinum,  
Levanum, Bruxellas, Osterdam, Novum portum, Dunquer-  
cam*, longèq; plura, oculis ubique subjiciens qvicqvid  
adspicere se offerebat notatuqe dignum. Videbatur  
cursum hunc impedire, in qvam intempestivè planè  
incidebat molesta febris: ast tantum abest ut dimoveri  
se à Proposito suo pateretur, ut inflammatus potius  
fuerit qvæcunqve sciendi exterisque terras lustrandi  
& mores peregrinos observandi ardor. Inceptum pro-  
inde iter, cum morbo licet conflictans, proseq'uebatur,  
donec attingeret Regiam Gallorum sedem, *Lutetas Pa-  
risiorum*, ubi nondum cessans febris ultra duos menses  
eundem detinebat, ita ut, qvi domo exiret, ipsi non  
nisi difficulter permitteret. Tandem eximiā Medico-  
rum opera ab eâ liberatus in Agrum Aurelianensem  
movebat, *Aureliam*, principem ejus urbem, &  
fama

fama inclytos in Academia illâ Doctores aditurus. Sed  
â Blesensibus prope Ligerim fluyum, amœnitate lo-  
ci ductus, per integrum annum detineri se patieba-  
tur, ut tamen *Casarodunum*, *Salmurum*, aliaqve Lige-  
ri adjacentia ad oppida subinde excurreret. Dehinc  
Parisienses iterata vice salutabat, qvando commodum  
accidebat, ut publice ad regiam audientiam admitte-  
rentur duorum Potentissimorum Regum, Hispania-  
rum & Danorum, Illustres Legati, ille *comes de Fuen-*  
*tes*, hic *Hannibal Seestad us*. Ubi talium ceremoniarum  
spectandarum cupidissimo Nostro omnia notatu di-  
gna observandi, non sine summa ejus delectatione,  
dabatur occasio, & præsertim qvidem, posteaqvam in  
Danici Legati, qvæ insignis ejus erat humanitas, co-  
mitatum recepto facilior ubiqve aditus pateret. Hi-  
visis cum ceteris, qvibus locus iste superbit, in iis-  
demque contemplandis & observandis aliquot mensi-  
bus absuntis, propositi sui memor, ad Anglos iter me-  
ditabatur. Nec mora, Per *Normanniam* namque insti-  
tuto cursu *Deppam* attingebat, non ignobilem portum,  
ubi navi consensa, cum vix altum ingressus esset,  
adverso vento non sine naufragii periculo portum  
repetere cogebatur. Iteratò autem in navem cum se  
contulisset, ad *littora Cantii* cum eâ appellebatur, unde  
terrestri itinere *Cantuariam* primum adibat, non inter  
infimas Anglicani Regni civitatem, & abhinc illud to-  
tius Regni caput, *Londinum*, urbem ut prævalente ma-  
gnitudine, ita spectabili elegantia præclarâ, Regiâq;  
qvam complectitur, sede maximoperè se commen-  
dantem. Obveniebant hic rursus oculis, qvorum  
delectarentur aspectu; inveniebat animas sciendi cu-  
pidissi-

pidissimus, qvibus sese nutriret. Qyamobrem nec su-  
bito ab hoc recedere loco consultum ei videbatur, in  
qvo experientiae ac prudentiae politicae multum au-  
gmenti supperaddi posse qvam prudentissime judica-  
bat. Non igitur uno, sed plusculis ibi mensibus con-  
sumtis, ulterius progressus *Vindesorium & Hamptoni Cu-  
riam* inspectabat, ad *Oxonium* properans in percelebri  
Academia majores eruditionis thesauros collecturus.  
Qya spe cum frustratus non esset, in Galliam reverteba-  
tur, Parisienses tertium jam visitatus, qvibus & vale-  
dicto, horridis Alpibus superatis, *Augustam Taurinorum*,  
qvæ Sabaudiæ Duci sedem præbet, ingressus est, de eo  
sibi gratulatus, qvod justo advenerit tempore, cum &  
heic spectare ipsi licuerit, qvibus cum solennitatibus  
Mediolanensis Ducis Ablegatus coram Sabaudiæ Duce  
comparuerit & ab hocce fuerit auditus, ansam ei danti-  
bus Italî, ut ipsorum singularem admissionis facilitate  
sibi cum itineris comitibus exhibitam humanitatem  
celebrare habuerit. Piemonto relicto, visisqve in  
transcurſu *Villa Novâ, Augustâ Prætoriâ, Alexandriâ, Va-  
lentiâ*, cum aliis, *Genuam* intrabat, ab ipsis Italî  
*Superbe cognomen adeptam, in qva qvicqvid est splen-  
didissimorum non publicorum solum, sed & privato-  
rum ædificiorum, congestum videtur. Eminet in  
Italia, qvæ capitî mundi. Titulo olim ho-  
norabatur, hodie Papalem intra se complectitur sedem,*  
*Roma, qvam videre ante omnia avebat Noſter Beatus,*  
*illucqve per *Ducatum Florentinum* iter dirigebat. Vel*  
*sola, qvæ heic loci supersunt, antiquitatis monumenta  
oculos ejus attrahebant, non tamen iis solis contem-  
plandis immorabatur, sed & Aulam Papæ freqventa-  
bat,*

C

bāt, plus in ea splendoris atqve magnificentiæ adver-  
tens , qvam servum servorum decet. Præterlapsis  
duobus mensibus cum pauculis diebus in Regnum Nea-  
politanum excurrebat, visurus decantatissimum Vesuvium,  
montem ignivomum, cum præcipuis Regni istius lo-  
cis. Abhinc Roman reversus , qvod supererat hyemis  
ut præteriret, ibi exspectabat , ineunte Martio Anno  
1664. Læretum se convertebat, locum, si qvisqvam aliis,  
Pontificiorum superstitionibus ac idolatriæ occasio-  
nem præbentem, non ut & ipse iisdem vacaret, sed ut  
oculatus harum ineptiarum qviret esse testis. Porro  
per Anconam, Boloniam, Paduanam pergebat ad Rempubli-  
cam Venetorum lustrandam , ipsasqve Venetas cum  
pervenisset, statum Reipublicæ ac regiminis formam  
explorabat, quæque præterea tam illustri loco splendo-  
rem conciliant, observare non intermittebat. Inter  
hæc triennium pròpemodum effluxerat, cum ad suos  
tandem revertendi in ipso oriebatur desiderium. Un-  
de currente mense Aprili Tridento, Brixino, Oeniponto,  
Augusta Vindelicorum, Monachio, aliisq; inclytis locis su-  
peratis, Ratisbonam ingrediebatur, eo qvidem tempore,  
cum & ipse Imperator cum Aula sua , & non pauci  
Imperi Electores ac Principes ipsi, aliorum verò Legati  
præsentes ibidem aderant, Comitia Imperii solenniter  
celebrantes. Et sic rursus offendebat & hic , è qvibus  
majorem sibi acqvirere poterat prudentiam. Non  
enim putandum est, in nuda tantummodo eorum con-  
templatione, qvæ oculis sese externis ingerunt eosqve  
delectant, ipsum tam multum temporis consumisse.  
Ea licet non præterierit, primarius tamen ipsi scopus  
erat, animum suum ejusmodi imbuere observatis, qvibus  
ipse

ipse olim mundo inservire posset, qui prius & princeps  
esse debet peregrinationum finis.

Nihil nunc restabat, quam ut occasionē nanciseretur  
applicandi conquisitas scientiæ atq; experientiæ dicitas,  
ut iisdem sive Patriæ suæ sive alienis terris inserviret. Nec  
multū præterfluebat temporis, qvando eadem illi offere-  
batur. Etenim Ratisbonæ adhuc degenti literæ affereban-  
tur gravissimum, quo laborabat Parens quiq; lethiferus  
eidem exstitit, morbum annuntiantes, desiderantes  
una, imo potius efflagitantes ejus in Patriam, à qua  
decennium fermè abfuerat, redditum. Ut primum igi-  
tur fieri poterat, in viam se dabat, per Nurembergam at-  
que Hamburgum, veloci cursu natale solum repetens,  
anxio Genitorem, quem jam ultimum spiritum  
trahere ominabatur, alloquendi desiderio concitatus.  
Paternas ædes ingressum qui non summa cum lætitia  
excepisset, nemo erat, quanquam non exigua, ob de-  
cumbentem Genitorem, tristitia eadem fuerit per-  
mixta. Certamen quasi quoddam cernere heic licuit  
gaudii paterni filialisque doloris, qui maximus evade-  
bat, quando, paucis post redditum ejus hebdomadibus;  
animam amittendo vitam ille finiebat. Quid quan-  
tumve doloris ex tam tristi obitu conceperit B. N. DN.  
Ber Mehren / illi optimè omnium judicabunt, qui  
similia olim experti fata sunt, funera amantissimorum  
sui Parentum comitati. Eveniebat tamen præter spem  
eo ipso adhuc Anno, erat is sexagesimus quartus supra  
millesimum sexcentesimum, quod lenimenti quid-  
quam afferre huic ingenti dolori poterat. Increbue-  
rat quippe honesta B. Viri fama, ejusque singulares  
dotes in sola Patria latere adeò nequivabant, ut & ad au-

G 2 res

res pervenerint Sereniss. Ducis Mecklenburgici , DN.  
CAROLI, p.m. cuius Celsitudo eidem Consiliarii in  
Aula sua, quæ Miroviæ tum instituta erat, splendidum  
munus per ANDR. CURTIUM, Cancellarium Gu-  
stoviensem , deferebat , iis quidem sub conditionibus,  
ut, cur vocationi huic se subtraheret , nihil inveniret  
causæ. Posteaquam igitur Clementissimo huic Prin-  
cipi præsentem se stiterat , Anno 1665. d. 12 Martii ab  
Antecessore suo isthoc in munere, DN. D HUGONE,  
ad Cancellariatum Hannoveranum evocato , in-  
troducedus solenniter fuit per quinquennium ita  
officio functus , ut singulis penè diebus majorem  
mereretur Principis sui gratiam. Ast , ut mu-  
tabiles omnium rerum vices sunt ; ita & illud B.  
Virum experiri oportebat. Nam omnium laudes  
superans Clementissimus Princeps ejus mortalia hæc  
cum immortalibus commutabat , contingente ejus o-  
bitu Anno 1670. d. 20 Augusti. Adfuerat autem cum  
morte luctanti Sereniss. Frater , Celsissimus Princeps  
ac Dominus, DN. JOHANNES GEORGIUS, iti-  
dem Dux Mecklenburgensis p. record. qui merita Viri  
Beati justè æstimans sibi eundem Consiliarium deside-  
rabat , non minus sibi fidelem futurum autumans, qui  
qualibet occasione , qvantacunq; in tanto Ministro re-  
quiri potest, Fratri suo exhibuerat fidelitatem.. Nec  
dubitabat Beatus Noster oblatum sibi munus suscipere,  
qui aulicis negotiis jamdudum erat adsvetns , ad qva-  
lia etiam munera rite obeunda diuturnis peregrinati-  
onibus se præparaverat. Vix autem fidem suam alte  
memorato Principi addixerat , cum literas acciperet  
manu Cancellarii Sverinensis, Illustris WEDEMAN-

NI

NI scriptas; Sereniss: Principis ac Domini, DN.  
CHRISTIANI LUDOVICI, Regentis Ducis Meck-  
lenburgici &c. &c. nomine splendidissimum Con-  
filiarii in Aula Sverinensi munus eidem offerentes, quas  
non multò post ipsâ Ducali manu clementissimè datæ  
excipiebant, ut vocationi illi se non subtraheret, poscen-  
tes. Malebat tamen ille suo servire Principi, cuius in  
se clementiam jam cognitam habebat abundantissimè.  
Intercedebant eo tempore inter Serenissimos hosce Fra-  
tres lites non leves: ast operâ B. N. DN. Confiliarii  
intercedente iisdem sublatis, animi reconciliabantur  
quod existimationem Nostri apud utrumq; Principem,  
non parum augebat. Verum & hic status diuturnus  
esse non poterat, morte & istum laudatissimum Prin-  
cipem florentissimæ ætatis afferente. Adeò jam se-  
cundo suo Hero, cui in sextum usq; annum fideliter ser-  
vierat, orbatum se videbat Vir Illustris, nactus occasione  
tertio Fratrū sua officia præstandi. Illicò namq; quam pri-  
mū de obitu Fratris certior factus esset Sereniss: Princeps  
ac Dominus, DN. FRIDERICUS, Regentis hodiè,  
& Faxit Deus quam diutissimè! Ducis nostri ac Do-  
mini Clementissimi, Dominus Parens, literis datis  
Beatum Virum evocabat, qui ejus in Aulâ idem obi-  
ret munus, quo in duorum jam Fratrum Aulis ante  
fuerat functus. Eodem etiam tempore altera vice à Sue-  
rinensibus sollicitabatur, ut quam ipse Regnans Dux  
illi obtulerat, functionem non iterum declinaret, id  
quod hæsitare ipsum fecerat, cuiusnam horum Princi-  
pum Fratrum iret in voluntatem. Quandoquidem  
vero jura postgenitorum Fratrum ex Testamento pa-  
terno ipsis competentia contra Primogenitum constan-

ter hactenus defenderat, Grabovensem Aulam Sueri-  
nensi præferebat, Ducique FRIDERICO gl. m. Anno  
1676. se sistebat futurum Ministrum. Et hic quoque  
primam ejus curam fuisse accepimus, ut, sublata omni  
litium causa, secum invicem in gratiam redirent hi  
duo Serenissimi Fratres. Quod ut effectum daret, sanè  
non parum prudentiæ requirebatur, nec minus im-  
pendebatur vigiliarum atque laboris. Quantuam & in-  
de emolumenti advenerit universæ Patriæ nostræ, qui-  
libet, vel me tacente, intelligere potest. Utut vero i-  
ta jam optime meritus fuerit de Ducibus ac Dominis  
nostris, plus tamen ei Ducatus hicce debet, quod ei o-  
mnem vitam suam cum viribus omnibus consecrave-  
rit, non permittens, ut magnis licet aliorum pollici-  
tationibus solicitatus, ab eo alienior redderetur locum-  
ve mutaret. Etiamsi enim Anno MDCLXXX. Lu-  
becenses, oblata Senatoria Dignitate, ipsum ad se re-  
trahere conarentur, tantum tamen abest ut sequutus  
fuerit vocantes, ut Clementissimum suum Herum vel  
ipsi Patriæ prætulerit ad finem usque vitæ constanter  
eidem adhæsurus. Nunquam etiam ab eo se separari  
passus fuisset, nisi mors ipsum & hoc suo Domino pri-  
vasset, id quod eveniebat Anno 1688. Tertium sic amise-  
rat Dominum suum, & tertium nunc Suerinum evoca-  
batur, ad præfulgidam Cameræ Consiliarii spartam obe-  
undam. Animadvertis autem, abs Serenissimâ Prin-  
cipe Vidua se ægrè dimissum iri, non prius consentire  
in vocationem volebat, quam permisum ipsi esset ut  
Clementissimæ Principis ac Heræ suæ ministerio unâ  
defungeretur. Qvo impretato, Anno 1690. Sveri-  
num cum familiâ abiit delato munere functurus. In  
quo

quō cum talem se præstaret, qualem speraverant omnes, promeritus brevi erat, qui ad majorem eveheretur dignitatem, Consiliarii Cameræ Intimi Titulo unā cum munere abs Serenissimo Principe ei quam Clementissimè delato. At verò, vix duo elapsi anni erant, quando iterum sine Domino se cernebat B.N. Dn. Consiliarius Intimus, cum Sereniss. Princeps ac Dominus, DN. CHRISTIANUS LUDOVICUS, Dominus quondam Noster Clementissimus, Anno 1692. supremum suum obiret diem. Huic tamen casui, Terris his quidem doloroso, summâ cum populi lætitâ medebatur Sereniss. Successor, Dominus FRIDERICUS WILHELMUS, hodie Regens noster Dux ac Dominus longè Clementissimus. Cui divino Principi ignotæ non erant B. Viri virtutes ac dotes, quin agnosceret ejusdem merita ac eximiam fidelitatem, quam non tribus solum Patruis, sed Genitori etiam Serenitatis ipsius exhibuerat olim. Idcirco in collato abs Prædecessore atq; Patruo munere eundem cum ceteris, qui tunc temporis erant Consiliariis voluit confirmatum.

Quantum ejus valuerit prudentia in componendis ac conciliandis dissentientium Principum animis, jam aliquoties dederat demonstratum: quare, cum Iub initium Regiminis lites nonnullæ exorirenter inter Sereniss. Principem nostrum ejus Patruum, Serenissimum itidem Principem ac Dominum DN. ADOLPHUM FRIDERICUM, Ducem Mecklenburgensem p. m. eorundemque conciliatio Lubecæ tentaretur, B. Vir eò cum plenâ potestate ablegabatur, ut, quâ consvereat prudentiâ & hasce tolleret earundemq; removeret causas. Nec frustrata Principe n est, quam in hoc Ministro suo habebat

bat , fiducia, ut potius commissa sibi negotia tantâ ex-  
pediverit cum dexteritate , qui omnium reportaret  
laudem & approbationem.. Nec minori eidem gloriae  
ducendum est, qvod & ipse, acceptâ plenâ potestate,  
Domini sui causam egerit coram Cæsareis Commissariis  
in transactione cum modò memoratô Sereniss. Principe  
**ADOLPHO FRIDERICO** Hamburgi Anno 1700, in-  
stitutâ, ob successionem in Terras à Gustrovienis lineaë  
Ducibus possessas ad mortem usque divinissimi Princi-  
pis **GUSTAVI ADOLPHI**. Qua in re qualem se ges-  
serit Vir Beatus , vel ex eo colligere est, quod Serenissi-  
mus Princeps etiam absentem , præter ejus spem & o-  
pinionem , Intimum suum Consiliarium esse jussérat ac  
Camerae Directorem.. Deinceps cum Ducatus Hene-  
tus nostro Serenissimo Principi cederet , eique pecu-  
liare ac separatum Regimen assignare placeret , No-  
ster quoque B. Dn. Consiliarius Intimus eidem ut ca-  
put & Director præficiebatur , ab Illustriss. Comite de  
**HORN** , Primo Status Ministro ac Consiliorum Præ-  
side, ceteris Consiliariis Serenissimi Principis nomine  
præsentatus ac introductus. Postea , cum Clemen-  
tissimo Domino nostro visum fuerat Illustrre Regimen  
unâ cum ceteris judiciis Ducalibus Sverino pariter at-  
que Gustrovio in nostrum transferre Rosetum , cum  
ceteris DNN. Consiliariis B. Vir domicilum sibi hîc lo-  
ci figebat , lugubrem hanc de vitâ ejus quam laudatissi-  
mè peractâ , fatis ac meritis permagnis comentandi  
obitu suo occasionem nobis datus. Interim , qui  
qui tot laboribus defunctus haec tenus fuerat , ac immi-  
nentia jam sentiebat incommoda senectutis, id expetie-  
rat ab Hero suo , ut â curis ac laboribus in posterum

vacuo

vacuo quietam degere senectutem liceret. Id quod à Principis sibi semper Clementissimi gratiâ equidem impetraverat, ita tamen, ut, quod accepferat hucusque salaryum, propter singularia ejus merita, quoad viveret, quotannis ipsi exsolveretur. Ex quo vel solo judicatu per facile est, quam egregie de Principe, de Populo, de universa Patria, promeritus fuerit Vir, cui ultima hodie justa fuit, de quibus nihil mihi ulterius dicendum, re ipsâ loquente.

Vidistis ergo, CIVES! quomodo in publicis se gesserit ille, & exinde haud difficulter colligitis, qualem se exhibuerit domui suæ. Constituebat eandem primùm Anno 1680. ductâ in matrimonium Viri Nobilissimi ac Spectatissimi, DN. MICHAELIS Wolters / Primarii Civis Lubecensis ac insignis Mercatoris, nec non Honestissimæ ac Virtuosissimæ Matronæ, ANNÆ à MELLEN, Natam, CHRISTINAM, Integerrimi ac Præstantissimi Viri, DN. Gottfried Middendorffs / itidem Primarii apud Lubecenses Mercatoris ac Civis Viduam relictam, annum vicesimum secundum vix dum, ingressam. Pepererat illa priori marito unicam filiolam, CATHARINAM, quam sibi vitæ connubialis sociam elegit Excellentissimus ac Juris Consultissimus Vir, DN. ACHILLES FRIDERICUS SCHOMERUS, Sereniss. Ducis Mecklenb. Consiliarius ac Cancellariae Vice-Director Illustris, quam Beatus Vir non minus charam sibi habuit, ac ex eâdem Conjuge à se prognatam, Præ-Nobilissimam Sexusque sui decoribus exornatissimam CHRISTINAM,

D

Viro

Viro Illustri, DN. JACOBO TADDELIO, Sere-  
niss. Principis nostri Consiliario Regiminis Excel-  
lentissimo, hodiè nuptam, quæ Genitori suo A-  
vi conciliavit nomen, quatuor ipsi nepotes parien-  
do, totidemque neptes, utpote CHRISTINAM  
MARGARETHAM, JOHANNAM CATHARI-  
NAM, FRIDERICUM WILHELMUM, JO-  
HANNEM JACOBUM, ANNAM ELISABE-  
THAM, SOPHIAM DOROTHEAM, CHRI-  
STIANUM LUDOVICUM, JOACHIMUM FRL-  
DERICUM, è quorum numero FRIDERICUS  
WILHELMUS, & SOPHIA DOROTHEA in-  
tenerâ ætate Avo suo ad cœlestia gaudia præiverunt,  
nunc cum Majoribus eundem inter Angelos San-  
ctosque excipientes. Consummatum fuerat sa-  
cerdotali benedictione conjugium istud dicti Anni  
Mense Julio ejusque die 19. Et quanquam concors  
ipsum fuerit ut quam maximè, constantiâ tamen ca-  
ruit, siquidem ista laudata fœmina Anno 1681. d.  
22. Junii filiæ vitam dando ipsa amisit vitam suam,  
decimo septimo, posteaquam enixa eam erat, die  
defuncta, ut ne quidem unius completi Anni dura-  
tionem viderit hic conjugalis amor. Eum verò  
maximum fuisse vel hoc indicio est, quod tres inte-  
gros per annos viduum preffserit lectum V. B. donec  
tandem Anno 1684. ad secunda transiret vota eaque  
verè secunda, adscitâ in vitæ consortium mœstissimâ  
nunc Viduâ, Matronâ virtutum laude Illustri, AN-  
NA ELISABETHA, Eximii ac Nobilissimi Viri,  
DN. LAURENTII Wiebelingen / Patricii Lu-  
becensis Fulgidissimi, ut & Nobilissimæ omniq;  
vir-

virtutum sui sexus apparatu ornatissimæ ELISABETHÆ Kühmanns / Filiâ , quæ ante jam elocata fuerat sine prole in Domino beate defuncto DN. ANTHONIO Hacken / Primario inter Lubecenses Mercatori ac Civi; quæ d. 15 Septembris per Sacerdotem ipsi jungebatur . Ex hac Conjugæ lætus suscepit prognatos sibi duos Filios , paternarum virtutum æmulos , primogenitum , JOHANNEM , S. S. Theol. atque Phil. Cultorem perfiduum , editum in hanc lucem Anno 1685. d. 12. Julii ; secundo-genitum , FRIDERICUM , J.U. Cultorem laudatissimum , in Lipsiensi Academiâ hodiè degentem , Anno 1686. d. 28. Septembris primâ vice Parentum ulnis exceptum; Filiasque duas , Virgines in sexus sui ornamentum natas , Virtutibus quam maximè deditas , ANNAM ELISABETHAM , & SARAH REGINAM , quarum ista Anno 1688. die 14. Februarii , hæc Anno 1690. d. 15. Maij mundum huncce adspexit . Quibus ut Patris loco sit ille , qui est omnium Pater , vovemus !

Et hæc de vitâ Excellentissimi Viri scribenda nobis erant , cujus quoque reliqvas enumeraremus virtutes , nisi verendum nobis esset , ne earundem copiâ obrueremur . Et quid opus erit referre , quæ omnibus ad unum sunt quam maxime perspecta ? Ita nimirum fieri afolet , ut quò majori in dignitate constituti sunt Viri ac eminentia aliis præpollent , eò magis in eos omnium sint oculi defixi , ut vel gressus eorum gestusque singulos singuli observent . In testimonium itaque vocari potest universa hæc civitas , sed quid civitatem

tatem dico? vel universus hicce Ducatus & quot-  
qvit eundem alibi noverunt, debitas ipsi laudes nul-  
li sunt denegaturi. Ne igitur illustri virtutum splen-  
dori jejuno sermonis genere noctem offundere velle  
videamur, silentio involvere præstat, quæ omnium  
in animis præfulgent. Satis, imo plus satis erit  
dixisse, Excellentissimum DN. Ber Nehren / veri  
ac genuini & ingenui Politici gessisse imaginem, fuis-  
se doctum, expertum, prudentem, Principi suo fi-  
delem, de Patriâ optimè meritum, Deum timen-  
tem, qvodqve dicta omnia vel solum confirmat, &  
de qvo nec centesimus gratulari sibi potest, qvinque  
Principum ex unâ Mecklenburgicâ Ducali Domo, in-  
terq; eos quatuor Fratrum, deinde & Patris Filiique,  
omnium maximopere ei faventium, ac clementissi-  
morum, ordine succedente, Consiliarium atque Mi-  
nistrum.

Quantumcunq; autem hoc omne sit, obstare  
certe non potuit, qvin tantus Vir tot laboribus ac fa-  
tigationibus tandem consumtus morte decederet ex  
conspictu hominum. jamdudum est, ex qvo præsen-  
tissimum virium corporis defectum sentiebat, ut &  
pedes suum facere officium detrectarent, ast superior  
mensis lethiferum repente afferebat morbum, tanta  
cum vehementia in ipsum irruentem, ut & men-  
tem impediret & lingvam. Accersebatur actutum  
Medicus Excellentissimus, Præ-Nobilis. atq; Experientiss. DN. D. JOH. ERN: SCHAPERUS,  
Med. P. P. Celeberrimus, FCtatis suæ Senior, &  
Serenis. Ducis Mecklenb. Aulæ Consiliarius &  
Archiater Fulgidissimus, Fautor, Collega & Ami-  
cus

cus noster Honoratissimus , qvamvis , qvicqvid  
adhibebatur præstantissimorum remediorum , effe-  
ctum dare non valebat. Illi corpus curanti adjun-  
gebatur , qui animæ curam hactenus egerat , Maxi-  
mè Reverendus , Ampliss. atque Excellentiss. DN.  
JO. NIC. QVISTORPIUS , S. S. Theol. D. & P. P.  
Celeberrimus , Concionis Nicolait. Pastor optimè  
meritus,&Gravissimus Rev. Ministerii Patrii Super-  
intendens , Collega , Fautor & Affinis noster con-  
junctissimus , qui animam coelestia anhelantem  
Verbo divino magis fuscitabat , allatis , quæ vel ex-  
citare fidem vel confirmare poterant , efficacissimis  
Scripturæ S. dictis. Nec minus interdum vocatus  
illum accedebat Maximè Rev. atque Ampliss.  
DN. JOANNES SENSTIUS S. S. Theol. D. &  
Archi-Diaconus Marianus , Affinis noster , Amicus  
atque Fautor æstumatissimus , in vera Christum  
amplectente fide ex vivo DEI Verbo eundem con-  
fortaturus. Ipse verò Beatus Salvatori suo , quem  
supra per omnem vitæ cursum nihil dilexerat ma-  
gis, firmâ adhærens fide beatam analysin exspecta-  
bat , quæ inter adstantium devotas preces , Viduæ  
que ac Filii & Filiarum lacrymas atque suspiria , ipsi  
contingebat die septimo currentis mensis Novembbris ,  
inter septimam & octavam matutinam , posteaquam ,  
paucos si exceperis dies , septuaginta sex annos in his  
terrīs vivendo compleverat.

Scilicet , iste tandem in mortalitatem hanc  
natorum finis est , certissimam omnium atque fir-  
missimam dans regulam , quæ omnino nullam pa-  
titur exceptionem. Evidem uni citius , alteri tar-

dius vitæ appropinquat finis: attamen obnoxii ei-  
dem fuitus omnes. Et quam diurna fuerit vita,  
ad finem tamen perducta fugacem fuisse intelligitur.  
Inframur mundum hunc, ut ex eodem abeamus: in-  
gredimur vitam, ut egrediamur. Sic vita non-vita  
est; est namque continua mortalitas. Scitè in hanc  
rem Gregorius ille cognomento Magnus: *Vita h.ec,*  
*inquit, dum currit, cedit: dum apud se extollitur,*  
*repentino intercepta fine terminatur.* *Sic namque au-*  
*rarum flavi in altum stipula rapitur, sed casu concito*  
*ad ima revocatur.* *Sic ad nubila fumus attollitur, sed*  
*repente in nihilum tumescendo dissipatur.* *Sic ab infimis*  
*nebula descendendo se erigit, sed exortus hanc solis ra-*  
*dius, ac si non fuerit, abstergit.* *Sic in herbarum su-*  
*perficie nocturni roris humor adsperritur, sed diurni lu-*  
*minis subito calore siccatur.* *Sic spumosa aquarum bullæ*  
*inchoantibus pluviis excitatae ab intimis certatim prodeunt,*  
*sed è celerius diruptæ pereunt, quo inflate citius exten-*  
*duntur: cumque excrescent ut appareant, excrescendo*  
*peragunt ne subsstant.* Talis vita hominum est,  
ut juventutem nemo discedere sentiat, sed discessisse,  
& senectutem non sentiamus advenire, sed adve-  
nisse. Omnium autem ut eadem vita; ita & ea-  
dem est lex mortalitatis omnium. Qvod si enim  
virtutum copia & varietas, si eruditioñis profundi-  
tas ac prudentiae thesaurus, si vel meritorum nu-  
merus aut gloriæ splendor, aut quæcunque alia  
desuper concessa homini bona huic derogare legi  
possent, certè Illustri huic Viro, cuius ossa hodie  
sepelientur, funus apparatum nunquam fuisset.  
At, at non deest, quod consolari nos queat. Veluti  
enim

enim nascimur , ut moriamur ; ita morimur , ut vivamus : Non enim transitus noster est ex vita in mortem , sed è morte in vitam . Vivere qui desinit , desinit mori : mori autem qui desinit , incipit vivere . Mortuus itaque non est Excellentissimus DN. Ver Mihren / sed vivit , exuta mortalitate immortalitatem induit , ut sine morte æternum , vivat cum eo , qui est ipsa Vita . Vivit ejus anima , & corpus quoque ipsius olim reviviscet .

Nostrum nunc est , CIVES O. O. HONORATIS-  
SIMI ! ut meritorum Magni hujus Viri memores vi-  
entes ejusque sequentes exemplum , quam conse-  
qutus est , beatitudinem ipsi gratulemur , Relictis  
verò efficacissima apprecessimus Spiritus S. solatia .  
Cumque corpus exanime hodie in dormitorium  
suum recondendum sit , publicè Vos omnes , qua de-  
cethumanitate , cum Illustris Familiae tum meo no-  
mine rogatos ac invitatos velim , ut frequenti comi-  
tatu vestro funus hoc splendidissimo ac , ut decet , per-  
honorifico ritu efferendum cohonestare non de-  
dignemini . Postulant id Viri merita omnino maxi-  
ma , jubet humanitas ipsa , expetunt lacrymæ mœ-  
stissimæ Viduæ ac Liberorum , & ipsamet vestra vult  
mortalitas . Praebit Serenissimi Principis Illustris  
DN. Legatus , ut intelligatis , quanti fecerit hunc  
Magnum Virum ipse Patriæ Pater . Huncce seque-  
mur , ut & in hoc Principis ad exemplum servi com-  
ponamur . Unicum verò antea adhuc monendi mihi  
estis . Pervenit jam procul dubio in notitiam  
Vestram , utut à multis jam annis unanimi utriusque  
Reipublicæ Academiam intelligo atque Civitatem .  
Senat-

Senatus consensu funebres, quæ dicuntur, Conciones  
in hoc loco fuerint abrogatae; hodiè tamen, interve-  
niente speciali Serenissimi Principis ac Domini no-  
stri, ex singulari gratiâ erga pië Defunctum ejus-  
demque superstitem Familiam proficidente, dispen-  
satione, cui in tam illustri funere Senatus uterq; quam  
facillimè assurrexit, ejusmodi lugubrem sermonem abs  
Summè Rev. Ministerii Dn. Superintendentē in æde  
Jacobæa publicè habitum iri. Quare Vos obtestor, ut  
compositi ac cum devotione, sine strepitu, sine tumultu  
ac clamoribus, hanc DEO sacratam domum in-  
tretis, à discursitationibus abstineatis, cogitantes, Vos  
in conspectu Dei sanctorumque Angelorum sancto  
in loco versari. Patulas ex adverso verba facturo  
aures præbeatis, quò pluribus percipiatis, quæ in  
Excellentē hoc Viro emicuerint virtutes, ut easdem  
imitemini: & qvod summum est, ex hu-  
jus morte mori mortemque vestram exspectare di-  
scatis, quotidie meditantes illud Bernhardi:  
*Quicquid illis accidit, tibi accidere potest, quia homo*  
*es. Homo de humo, limus delimo. De terra es,*  
*de terra vivis, in terram reverteris, quando*  
*venerit dies illa ultima, quæ subito venit, forsitan*  
*hodie erit. Certum est quia morieris, sed ins-*  
*certum quando, aut quomodo, vel ubi. Quidam*  
*mors ubique te exspectat; tu quoque,*  
*si sapiens fueris, ubiq; eam exspectabis.*

Valete!

P. P. Sub Sigillo Rectoratus

D. 21. Novembr. A. o. MDCCX.

Conveniemus in Templo D. Jacobo Sacro.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn774702710/phys\\_0037](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774702710/phys_0037)





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn774702710/phys\\_0039](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774702710/phys_0039)



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn774702710/phys\\_0040](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774702710/phys_0040)

nu, fôvet adibat, famâ allectus Celebrat tempestate in illa Juris interpretum, D. WERNERI, EICHELII, qvorum late assiduus, nunqam ab illis, nisi doctior fatus. Sed Præter istos, suis meritis suâq; laude diffimos, Doctores coñemorandum heic quoniam illud eruditioñis miraculum ac orname fæ Germaniæ, HERMANNUM puto CO de qvo qvidqyid dici vel scribi potest, in Cum enim nativo qvâsi instinctu ad H. Juris Publici Studia, qvæ tantum non efficere valent, sese rapi sentiret Noſter ren/ tanto sub Doctore, qvem non in the sed in variis Principum Aulis negotii multam fibi experientiam, & experient magnam comparasse noverat, eadem fib reddere allaborabat. Et in hoc non miraris, qvæ tractabat, studiorum generibus profectus vel ipsemet qvotidie sentire in qvotiescunq; docile ac ad qvævis capienda nium excuteret suum. Ita non fieri nos fertim qvia cum industria vitæ conjungit atq; modestiam singularem, qvin conciliaret amorem, favorem, existimatq; qvippe occasione, & qvibus Natura erat, dona, & qvos propriâ diligentia fibi verat eruditioñis profundæ thesauros, siue publicè, nunc opponendo, iterum qvæ sunt exercitia Academica, explicare fanè solebat, ut nunqam nisi cum admittit auditus. Tantis igitur doctrinarum i-

B.3

præfi.